

Sex Aenigmata Ven. Bedæ.

1. Qui sunt, qui sani ægrotant ?

R. Qui aliena negotia curant.

2. Quâ ratione homo lassus non fit ?

R. Lucrum faciendo.

3. Quid est longissimum ?

R. Spes vel cogitatio.

4. Quid est Regi & misero commune ?

R. Nasci & mori.

5. Quid est optimum & pessimum ?

R. Verbum, nam *Vita & Mors in manu*

lingua. Prov. 18. v. 21.

6. Quid est, quod alii placet, alii displicet ?

R. Vita, hæc enim placet prosperè agentibus & displicet miseris. Unde Poëta :

Non placet hæc miseris, placeat licet ipsa beatis :

His brevis est ; illis longa fit ipsa nimis.

Vita bona placet Deo, displicet Diabolo :

vita mala econtrà placet Diabolo, displicet

Deo & Angelis ejus. Benè ergò monet Poëta :

Est & erit verum : *Mors ultima linea rerum,*

Hanc, homo ! dum finis, pulvis es atque cinis.

Ast quarum rerum, quarum Mors meta dierum ?

Harum, quas quæris, quas & in orbe teris.

Si sapis, has spernas, post hæc ut sydera cernas ;

Virtus sola bonis digna sedere thronis.

Aliud